



The Holy See

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

“MAIOREM HAC DILECTIONEM”

DE OBLATIONE VITAE

FRANCISCUS

«Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis» (Io 15,13).

Singulari existimatione et honore digni sunt illi christifideles, qui Iesu Christi vestigia ac placita proxime sequentes, vitam suam pro aliis voluntarie ac libere praebuerunt et hoc in proposito usque ad mortem perseveraverunt.

Omnibus compertum habetur heroicam vitae oblationem, caritate munitam ac fultam, Christi veram, plenam ac praestantissimam imitationem exprimere, quapropter ea digna est illa admiratione, quae fidelium communitas reservare illis solet, qui voluntarie vitam immolaverunt sanguinis martyrio occumbentes vel heroico in gradu christianas virtutes exercuerunt.

Faventi consilio [a Congregatione de Causis Sanctorum](#) edito, quae Plenaria in Sessione diei 27 mensis Septembris anno 2016 diligenter perscrutata est an huiusmodi christifideles beatificationis sint digni, has quae sequuntur statuimus normas servandas:

ARTICULUS I

Vitae oblatio nova facti species est itineris ad beatificationem et canonizationem, quae a specie *super martyrio* et *super heroicis virtutibus* differt.

ARTICULUS II

Vitae oblatio, ut sit apta atque efficax ad Servi Dei beatificationem haec requirit:

- a) libera ac voluntaria sui vitae oblatio et heroica *propter caritatem* certae ac tempore proximae mortis acceptio;
- b) nexus inter vitae oblationem et praematuram mortem;
- c) exercitium, saltem ordinario gradu, christianarum virtutum ante vitae oblationem et, deinceps, usque ad mortem;
- d) existentia *famae sanctitatis et signorum* saltem *post mortem*;
- e) necessitas miraculi, beatificationis intuitu, quod post Servi Dei mortem et per eiusdem intercessionem eveniat.

ARTICULUS III

Dioecesanae vel Eparchialis Inquisitionis celebratio una cum pertinenti *Positione* ad normam Apostolicae Constitutionis *Divinus perfectionis Magister* diei 25 mensis Ianuarii anno 1983 in *Actis Apostolicae Sedis*, volumine 75 (1983), 349-355 editae, et secundum *Normas Servandas in inquisitionibus ab Episcopis faciendis in Causis Sanctorum* diei 7 mensis Februarii eiusdem anni promulgatas in *Actis Apostolicae Sedis*, volumine 75 (1983), 396-403 editas, praeter sequentia, temperata est.

ARTICULUS IV

Positio super oblatione vitae ad *dubium* respondeat “*An constet de heroica oblatione vitae usque ad mortem propter caritatem necnon de virtutibus christianis, saltem in gradu ordinario, in casu et ad effectum de quo agitur*”.

ARTICULUS V

In articulis subscriptae *Apostolicae Constitutionis* haec sequentia innoventur:

Ad art. 1:

«*Episcopis dioecesanis vel Hierarchis ceterisque in iure aequiparatis, intra fines suae iurisdictionis, sive ex officio, sive ad instantiam singulorum fidelium vel legitimorum coetuum eorumque procuratorum, ius competit inquirendi circa vitam, virtutes, vitae oblationem vel martyrium ac famam sanctitatis vel vitae oblationis vel martyrii, asserta miracula, necnon, si casus ferat, antiquum cultum Servi Dei, cuius canonizatio petitur*».

Ad art. 2,5:

«*Inquisitio de assertis miraculis ab inquisitione de virtutibus vel de vitae oblatione vel de martyrio separatim fiat*».

Ad art. 7,1:

*«Una cum externis cooperatoribus causis sibi commissis studere atque Positiones super virtutibus vel super **vitae oblatione** vel super martyrio parare».*

Ad art. 13,2:

*«Si Congressus iudicaverit causam instructam fuisse ad legis normas, statuet cuinam ex Relatoribus committenda sit; Relator vero una cum cooperatore externo Positionem super virtutibus vel super **vitae oblatione** vel super martyrio conficiet iuxta regulas artis criticae in hagiographia servandas».*

ARTICULUS VI

In articulis supradictarum *Normarum servandarum in inquisitionibus ab Episcopis faciendis in Causis Sanctorum* haec innoventur:

Ad art. 7:

*«Causa potest esse recentior aut antiqua; recentior dicitur, si martyrium vel virtutes vel **vitae oblatio** Servi Dei per orales depositiones testium de visu probari possunt; antiqua vero, cum probationes de martyrio vel de virtutibus vel de **vitae oblatione** dumtaxat ex fontibus scriptis erui possunt».*

Ad art. 10,1°:

*«In causis tam recentioribus quam antiquis, biographiam alicuius historici momenti de Servo Dei, si extat, vel, ea deficiente, accuratam relationem chronologice digestam de vita et gestis ipsius Servi Dei, de eius virtutibus vel **vitae oblatione** vel martyrio, de sanctitatis et signorum fama, non omissis iis quae ipsi causae contraria vel minus favorabilia videntur».*

Ad art. 10,3°:

*«In causis recentioribus tantum, elenchum personarum quae ad eruendam veritatem circa virtutes vel **vitae oblationem** vel martyrium Servi Dei, necnon circa sanctitatis vel signorum famam conferre possunt vel adversari».*

Ad art. 15,a:

«Relatione accepta, Episcopus omnia usque ad illud tempus acquisita promotori iustitiae vel alii viro perito tradat, ut interrogatoria conficiat quae apta sint ad verum indagandum et inveniendum

*de Servi Dei vita, virtutibus vel **vitae oblatione** vel martyrio, fama sanctitatis vel **vitae oblationis** vel martyrii».*

Ad art. 15,b:

*«In causis antiquis vero interrogatoria dumtaxat famam sanctitatis vel **vitae oblationis** vel martyrii adhuc vigentem necnon, si casus ferat, cultum recentioribus temporibus Servo Dei praestitum respiciant».*

Ad art. 19:

*«Ad probandum martyrium vel virtutum exercitium vel **vitae oblationem** et signorum famam Servi Dei qui pertinuerit ad aliquod Institutum vitae consecratae, notabilis pars testium inductorum debent esse extranei, nisi, ob peculiarem Servi Dei vitam, id impossibile evadat».*

Ad art. 32:

*«Inquisitio super miraculis separatim instruenda est ab inquisitione super virtutibus vel **vitae oblatione** vel martyrio et fiat iuxta normas quae sequuntur».*

Ad art. 36:

*«De Servis Dei, quorum sanctitas vitae adhuc legitimo examini subiecta est, quaelibet sollemnia vel panegyricae orationes in ecclesiis prohibentur. Sed etiam extra ecclesiam abstinendum est ab iis actis quibus fideles induci possint ad falso putandum inquisitionem ab Episcopo factam de Servi Dei vita et virtutibus vel **vitae oblatione** vel martyrio certitudinem secum ferre futurae eiusdem Servi Dei canonizationis»*

Haec omnia, quae his Apostolicis Litteris motu proprio statuimus, mandamus ut rite funditusque servantur, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus et publici iuris fiant per editionem super actis diurnis scilicet “*L’Osservatore Romano*” et ab hoc ipso die vigere incipiant et deinceps in Actis Apostolicae Sedis referri mandamus.

Datum apud Sanctum Petrum, die XI mensis Iulii, anno Domini MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS PP.